





1 Musaei Joh. I diff. in Epist. ad  
Romanos Cap. IX v. 19 - 23.  
jane 1652.

2 \_\_\_\_\_ diff. de vera presentia  
corporis Christi in S. Coena.  
jane 1652.

3 \_\_\_\_\_ diff. II. De natura et  
definitione Ecclesie.  
jane 1655.

4 \_\_\_\_\_ diff. de resurrectione  
Christi a mortuis, jane 1653

5 Musaei Joh. I diff. de Baptis-  
mo, H. Elmer 1664.

DISPUTATIO PRIMA

1711

# EX EPISTOLA

PAVLI APOSTOLI AD ROMA-

nos, complectens quædam Prolegomena,  
& ἀναλυτικὰ γραφῖς & exordij.

*Cujus positiones, divina adju-  
vante gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVNGIO

S.S. THEOLOGIÆ D. ET PRO-  
fessore, in privato disputationum Theo-  
logicarum Collegio defendet

M. BARTHOLOMAEUS BATTUS  
Hamburgensis.

Die 20. Decemb. hora 7. mat.



15

95

VVITEBERGAE  
Excusa typis M. Simonis Gronenbergii.

Reverendâ dignitate , excellenti  
doctrinâ, & spectabili pietate clarissimis,  
præstantissimisq; viris,

D. DAVIDI CHYTRÆO,  
D. LUCÆ BACMEISTERO,  
D. IOHANNI FREDERO,  
D. VALENTINO SCHACHTIO,  
D. DAVIDI LOBECHIO.

SS. Theologiae Doctoribus & Professoribus in A-  
cademiâ Rostochiana celeberrimis, Dominis,  
præceptoribus & fautoribus omni obser-  
vantia cultu prosequendis.

Hanc, ex primo Epistolæ ad Romanos capite, disputationem  
debitæ gratitudinis & observantie tesseram, offert  
& nuncupat.

M. BARTHOLOMAEUS BATTUS  
Hamburgensis.

## PRAEFATIO AD LECTOREM.

**E**pistola Pauli Apostoli ad Romanos, et si pri-  
mò scripta non est, merito tamen inter reli-  
quas, & bujus & caterorum Apostolorum,  
epistolas, ob argumenti dignitatem, doctrinæ uber-  
tatem, & tractationis ængiBæap primum obtinet lo-  
cum: Quæcùmque, cœu Theologia Christianæ compen-  
dium, præcipuorum locorum explicationem com-  
pleteatur, digna est, qua tum piorum omnium,  
tum maximè cœlestis sapientia & studiorum mani-  
bus diligentissimè versetur, & vel tota memorie  
mandetur. Quia vero scripturae non sunt in legen-  
do, sed in intelligendo, & multa sunt in hoc quoq;  
scripto, quæ declarationem aliquam requirunt,  
ejusdem & ualutinæ p̄ ἔγγυησι, quanta poterimus brevita-  
te ac σαφνείᾳ, insituemus, eamque thesibus inclusam  
& placidis studiosa & juventutis colloquiis ventilan-  
dam subjiciemus, quò & verba ac phrases & σώο-  
tis totius disputationis Paulina magis legentibus  
innotescant, & præcipuorum locorum brevis repeti-  
tio κατηχήσως vicem expleat.

Cumq; omnis interpretationis anima sit ordo, ac  
methodus, in qua alii aliis feliores sunt, nos ut u-  
trique instituto exegetico & συζητηκώ simul inser-

A 2 via.

viamus: Primò, quæ περιεργούμενων loco commemorari solent, breviter perstringemus: Deinceps singulorum capitum dispositionem, & huic locorum principaliorum notationem, brevibus aphorismis comprehensam, subjungemus.

Filiū Dei, fontem omnis sapientiae & scientiae, cuius Spiritu hæc epistola dictata scripta q̄ est, oramus, ut ejusdem cœlestis auræ primitias nobis ad hoc sanctum institutū, feliciter perficiendum, clementer largiri dignetur. Benevolū & candidum lectorem obtestamur, ut conatum nostrū voto ac piis precibus adjuvet: studiosam juventutem hortamur, ut textum Apostoli diligenter legat, & huic succincte & exadūcta plenas aliorum commentationes adjungat: Ita labore nostrum in Domino hand inanem fore confidimus.



# DISPUTATIO PRIMA EX Epistola ad Romanos.

## PROLEGOMENA.



Vatior potissimum videntur explicanda:  
Scripti hujus autoritas, utilitas, argumen-  
tum & dispositio.

### Autoritas.

#### I.

Autoritas Epistolæ ad Romanos est Canonica: Idque dupli nomine, respectu sui & nostri. In se considerata dignitatem accipit ab autore, qui constitutus Apostolus & doctor gentium muneris sui autoritatem, à Pseudodoctoribus extenuatam, sæpe afferit argumentis indubitatis, ut, conversionis miraculosæ, 1. Tim. 1. vocationis immediatæ, Gal. 1. efficaciæ planè stupendæ, 1. Thess. 2. tām in prædicatione verbi quām operatione signorum & prodigiorum, Rom. 15. 2. Cor. 5.

#### II.

Porrò Apostolicam autoritatem divinam esse, apud religio-  
nis Christianæ δομού φει in confessio est. Matth. 10. Qui vos audit, me  
audit. Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei loquitur  
in vobis. Et in specie de se Apostolus noster ait, Rom. 15. Non ausim  
quicquam loqui eorum, quæ non loquitur Christus per me. & 2. Cor.  
13. an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus. Pro-  
inde legens hanc Epistolam memor sit, se uno actu tres loquentes au-  
dire, Christum & Spiritum sanctum, & eorum amanuensem Aposto-  
lum Paulum. Et hæc Epistolæ hujus autoritas interna.

#### III.

Alia externa quoad nos: Vnde enim nobis constet, hanc esse  
Pauli Epistolam, si queratur, Ecclesiæ omnium temporum testimoni-  
um ἀξιόποστον consulendum est, eo tamen discrimine, ut potissima au-  
toritatis extraneæ vis penes primirivam Ecclesiam resideat, utpote,  
quæ ἀντόχαφα vidit, & de rebus ysis ac certò exploratis testata est,

dujus vocem posterioris ætatis Ecclesia amplexa ac secuta, nobis  
quoque hoc κεριτίον singulare Dei beneficio sartum tectum reli-  
quit.

## Vtilitas.

### IV

Etsi expedito primo membro de Epistolæ autoritate, religio  
est quærere de ejus usu, cùm nihil à Deo nisi utilissimum ac maximè  
generi humano salutare profici sci possit: tamē quia ea est ingenii hu-  
mani conditio, ut parūm dignitate rei, utilitate plurimūm moveatur,  
eam in præsenti obiecto multis illustrare argumentis possemus, nū  
cuivis lectori obviam arbitraremur.

### V

Omittenda videntur testimonia doctorum, qui Epistolam hanc  
ceu clavem universæ scripturæ, sacræ Theologiae compendium, sun-  
damentum præcipuum, verum & γνῶσιον Euangeliū suspiciunt: Re-  
gum momenta considerentur.

### VI

Quæ universæ scripturæ θεοπνεύστæ utilitas est, ea & hujns;  
Tum quæ in aliis sparsim & particulariter, ea hic universa occurruunt,  
διδασκαλία, ἔλεγχος, επανόρθωσις, seu ράθεσις, παιδεία ἐν δικαιοσύνῃ,  
παράκλησις.

### VII

Scriptura enim doctrinæ, & vitæ hominis rectam informatio-  
nem tradit: Doctrinæ veritatem proponit διδασκαλία: corruptelas  
detegit, purgat, eliminat ἔλεγχος: Vitæ nævos & peccata corrigit  
επανόρθωσις & ράθεσις: regulam & normam tradit παιδεία. Accedit  
παράκλησις afflictorum & tentatorum quasi fructus quidam superio-  
rum capitum

### VIII

Longum foret membra hæc singulatim ex Epistola Paulina  
cruere: Nulli enim ferè doctrinæ Christianæ loci sunt, qui non attin-  
gantur hoc scripto, adeò, ut si doctrinam de institutione Baptismi &  
Εὐχαριστίας, & declarationem pleniorē articuli de Trinitate addas,  
Corpus doctrinæ Christianæ sis habiturus.

### IX

Sed præcipua quædam sunt capita religionis Christianæ, quæ  
hoc

hoc loco non tantum obiter notantur, sed accuratissime evolvuntur;  
ut de Peccato, Lege, Iustificatione, Merito Christi, Reliquiis peccati  
in sanctis, de spe, nova obedientia, veris fontibus consolationum,  
Prædestinatione, vocatione gentium, charitatis officiis, Magistratu,  
Libertate Christiana, &c si quæ sunt hujus generis. Non potest itaque  
Epistola hanc, uti vilem, negligere, nisi profanissimus totius Chris-  
tianæ religionis.

## X

Alterum utilitatis argumentum est in ἡλέγχῳ, quod nimirum E-  
pistola ad Romanos in præcipuis Ecclesiæ certaminibus hoc tempore  
dijudicandis, & adversariorum cavillis retundendis usum præstat ma-  
ximum.

## XI

Vt ex multis pauca perstringamus; Pontifícia dogmata sunt:  
Iustitiam peccatoris non esse gratuitam & imputatam, sed inhæren-  
tem: Negat hæc Epistola cap. 3. & 4. Hominem justificari, non sola  
fide, sed fide & operibus, Negatur id c. 3. & 4. Renatos posse implere  
Legē Dei: Refutat id Paulus c. 7. Sanctos esse sine peccato propriè sic-  
dicto, & concupiscentiæ motus in sanctis non esse peccata: Contrari-  
um affirmatur cap. 7. Perpetuò de gratia Dei & remissione peccato-  
rum esse dubitandum: Reclamat Epistola hæc cap. 5. & 8. Εθελούσκει-  
αι placere Deo: Repugnat caput 4.

## XII

Calviniana placita sunt: Renatos non amittere gratiam Dei  
peccatis contra conscientiam admissis. Contrarium traditur cap. 8. &  
11. Deum absoluto suo decreto quosdam elegisse ad salutem, alios  
reprobasse: Reclamat Paulus cap. 9. 11. Christum non esse mortu-  
um pro omnibus hominibus: Affirmat oppositum Paulus Rom. 5.  
& 14. Deum non velle omnium misereri, quia multos ab æterno de-  
stinârit ad interitum: Blasphemiam hanc retundit Epistola hæc cap. 11.

## XIII.

Anabaptistarum deliria sunt: Matrimonia dissolvenda, & fee-  
minas communes esse debere: Contrarium vide cap. 7. Ma gistratum  
esse ordinem profanum, quem homini Christiano gerere non liceat:  
Vanum hoc esse docet Epistola cap. 3. Rerum & possessionum com-  
munionem esse debere; Negat Apostolus cap. 12.

## XIV.

Quin & aliorum quorundam hypotheses falsæ refutantur hoc  
scripto: Dixere quidam; Bona opera esse necessaria ad salutem; ne-  
gat

gat Apostolus Rom. 3. & 4. Legem justificatis non esse ut normam  
vitæ proponendam : Negatur hoc cap. 7. Peccatum hominis esse sub-  
stantiam : Contrarium vide cap. 7. Superesse aliquas vires liberi arbitrii in homine ; Negatur cap. 5. & 8. Iustitiam esse ipsam Dei inhabi-  
tationem & efficaciam in nobis : Contrarium vide Rom. 3. Omnes  
homines esse electos, propriè sic dictos, sive credant sive non : Infi-  
ciatur hoc Apostolus Rom. 8. 9. & 11.

XV.

Patet itaque utilitas in διδασκαλίᾳ & ἐλέγχῳ. Reliqua utili-  
tatum membra, uti in aperta luce posita, declarationem nullam re-  
quirunt. Ex usu necessitas, ex utrisque dignitas aestimanda. Præcipu-  
um in hac Epistola robur aduersus Papam Romanum, ex qua legio-  
nem robustissimorum argumentorum, ad debellandam iustitiam o-  
perum, educas. Hac sepulta, vel non intellecta, quales tenebræ fue-  
rint, quales etiam nunc sint in toto salutis nostræ mysterio, & supe-  
riorum temporum historia, & lesuitarum cæcitas docet, qui adhuc  
velum habentes ante oculos, eandem legunt & interpretantur.

XVI.

Postremò amplificat utilitatem, historica commemoratio ἀφορ-  
μῆς, qua scripta esse dicitur à Paulo, vel, ut Pseudoapostolorum pas-  
sim oberrantium, & Ecclesias, recens plantatas, turbantium conatus  
anteverteret; vel, ut vivam docentium vocem suppleret. Cùm enim  
sub initium nascentis Ecclesiæ plerique doctores essent Iudæi, & hos,  
ob unius Iudæi sacrilegium, universos Claudius Imperator, urbe Ro-  
ma exegisset, Actor. 18. v. 2. videbatur Ecclesia Romana docentibus  
orbata, periclitatura de puritatis & constantiae laude, quam illi tri-  
buit Apostolus Rom. 1. Defectum itaque doctorum compensat Pau-  
lus scripta hac Epistola, qua ceu doctrinæ & vitæ Christianæ norma,  
interim utantur, donec tranquilliora affulgeant tempora.

*Argumentum.*

XVII

Doctrinam de vera iustitia coram Deo, & salute æterna con-  
sequenda, tractaturus Apostolus, præmittit ἀνασκευὴν pravarum opi-  
nionum de hoc mysterio, docens, non posse hominem externa disciplina,  
nec circumcisione, vel observatione Legis Mosi justificari;  
Sed

Sed sola Dei gratia & misericordia, per fidem Iesu Christi. Hanc assertiōnē aliquot argumentis astruit, & ex fructibus veram justitiam consequentibus declarat, ejusque certitudinem, adversus omnes tentationum impetus immotam, æternō prædestinationis divinæ decreto innitentem afferit: Ac denique quæ sint officia piorum, commemorat.

## *Dispositio.*

### XVIII

Variè dividi potest argumenti tractatio Apostolica: Alii (ut Brentius, & qui eum sequuntur) secundum tres præcipuas virtutes Christianorum, Fidem, Spem & Charitatem, quibus religionis Christianæ summa continetur: tres Epistolæ partes constituunt, quarum prima de fide justificante agat, à cap. 1. usque ad 5. Inde de spe, usque ad cap. 12. ab hoc; Tertia de charitate porrò usque ad finem.

### XIX

Alii capitulum medium de spe in duo membra dispescunt, & disputationi de prædestinatione filiorum Dei & reprobatione, tribus capitibus comprehensæ, peculiare caput assignant. Sunt qui primum caput de Iustificatione dividant. Denique nonnulli pauciores, alii plures partes numerant: nec in eo summa negotii vertitur, modo methodus ad docendum, & Paulinas disputationes eruendas sit accommodata.

### XX

Hoc institutum sequuti partes epistolæ 8. numeramus; quarum prima est, Epigrapha. 2. Exordium, cum propositione.

3. Gravissima accusatio omnium hominum, gentium & Iudeorū, quod vera justitia destituti, sub peccato & ira Dei conclusi teneantur. Ac proinde frustra, vel in naturæ viribus, vel Lege divinitus revelata, quæri justitiam affirmat.

4. Remotioni falsarum caussarum justificationis nostræ, subjungit Apostolus veras, & naturam justitiae imputatae per fidem Iesu Christi, monstratis veris fundamentis, explicat.

5. Iustificationis effecta describit: Tranquillitatem conscientiæ, Spem (de cuius certitudine differens, egregiam Christi & Adami collationem instituit) Sanctificationem, Liberationem à maledicto Legis, & consolationem in adversis certissimam.

6. Ex doctrina prædestinationis æternæ & reprobationis, quam tribus capitibus complectitur, doctrinam de Iustitia fidei illustrat.

7. De fructibus fidei, videlicet, officiis charitatis erga omnium

B ordinum

ordinum homines, erga pares, superiores & infirmos in fide disputat.  
8. Tandem Epilogo planè pathetico Epistolam concludit.

### CAPUT PRIMUM.

#### Argumentum & dispositio.

Post Epigrapham & Exordium Epistolæ, cui principalis propositio annexitur, videlicet, quod in Euangelio justitia Dei revelatur ea, quæ per fidem est, aggreditur Paulus principalis disputationis partem primam, qua ex negotio justificationis omnino removet externam disciplinam & studia gentium, quæ quanquam titulo sapientiæ superbiebant; tamen à veræ justitiæ laude omnino alienæ esse convincuntur. Sunt igitur partes ejus quatuor: Epigraphe, Exordium, Propositio, & prima disputationis pars, continens gentium accusationem.

#### EPIGRAPHÆ.

Tres sunt hujus partes, quarum prima notat personam scriptoris, quæ potest dici ὑπογραφή: altera eorum, quibus scribitur, quæ propriè dicta ἐπιγραφή est: tertia salutationem complectitur. Summa ejus est: Paulus Christianus, qui Romæ sunt, salutem precatur. Sed singula membra, amplificationibus illustrata, autoritatem scripto conciliant, lectori attentionem movent.

Subscriptione Apostolica quatuor membra potissimum continentur: Describitur enim persona & officium Pauli, ejusdem doctrina, Christi persona & officium, & ministerii Apostolici natura & dignitas.

#### I. Descriptio personæ Pauli Apostoli, v. i. & 2.

Persona scribens est Paulus, Iudæis & Syris Saul dictus, ideo nomen suum profitetur ad doctrinæ certitudinem & animi ac conscientiæ fiduciam denotandā. Amplificationes adduntur quatuor: 1. à fide & professione: Paulus est servus Iesu Christi. 2. ab officio: Est Apostolus, & quidem non proprio arbitrio, sed divina vocatione constitutus, Act. 9. & segregatus ad Apostolatum ex utero matris, Gal. 1. v. 15. & speciali mandato Spiritus sancti, Act. 13. v. 2. & usitato Ecclesiæ ritu, per jejunium, orationem & χροθεσίαν, Act. 13. v. 3. 3. A correlato: Est servus & Apostolus Iesu Christi. 4. A finali: causa: Vocatus est, ut doceat Euangeliū,

#### THESES.

Scripta anonyma meritò Ecclesiæ sunt suspecta. Antiqua enim fraude Diaboli.

Diaboli est, per scripta supposititia aut anonyma fallendi Ecclesiam,  
2. Thes. 2. & 3. Et adhuc hodie, quos religionis & confessionis suae pu-  
det, virus suum suppresso nomine in Ecclesiam effundunt.

2. Impia & stulta κακοζηλία est, quod Pontifices Romani nomina in  
baptismo accepta post electionem Papalem commutant.

3. Misericordiae divinæ argumentum est, quod ex Iupo non modò  
ovis fit, sed etiam ovium Christi fidelissimus pastor. 1. Tim. 1.

4. Ministri non sunt Domini, sed servi Christi, Ecclesiae & doctrinæ.  
Impius est igitur Papæ dominatus. Matth. 23. v. 8. arrogans sibi potestatem  
condendi nova dogmata & decreta, præter & contra mandatum Dei.

5. Sine legitima vocatione non est occupandum ministerium, Heb. 5.  
Ierem. 23. Ipsi currebant &c.

6. Segregatio à mundo non est sita in monastica aut Eremitica vita, ut  
Monachi nugantur, sed in separatione personæ ad docendum Euangelium,  
Act. 13.

7. In ordinatione ministrorum Euangelij Symboli loco liberè adhibe-  
tur ex veteris Ecclesiae consuetudine ritus χιστεσιας, sicut olim in sanctifi-  
cationibus victimarum, 1. Tim. 4. 2 Tim. 1. Commentum Pontificiorum  
de Sacramento ordinis omni Scripturæ fundamento caret.

8. Etsi utrumque genus doctrinæ Lex & Euangelium mandatum est  
Apostolis, tamen ratione potioris & respectu ultimi finis dicuntur ministri  
Euangelij: Ideò enim proponitur Lex, ut Euangeliō sit locus in cordibus  
hominum. Vel Euangelium hoc loco de tota doctrina Christiana potest  
accipi.

## II. Doctrinæ Pauli περιφράσις. v. 2.

Commendatur ea; 1. ipso nomine Euangelij gratissimo. 2 ab Autore Deo.

3. ab Antiquitate. Non enim cum Paulo demum natum, aut nuper in-  
ventum est Euangelium, sed antè diuinitus promissum. 4. A te stmonijs  
δειοτισαι Prophatarum, qui Spiritu sancto inspirati locuti sunt; 2. Pet. 1.

5. Ab Autoritate universæ scripturæ sanctæ, cui διάλογος est Euangelij  
doctrina. Rom. 12 Dicitur autem Scriptura sancta, propter autorem Spir-  
itum Dei, propter doctrinæ, quam tradit, sanctitatem, & perfectionem, &  
ratione effectus, videlicet, Sanctificationis nostræ. Ioh. 17.

6. A Subjecto, nimirum, Filio Dei, mediatore nostro, de quo nihil tra-  
dit Lex divina.

## THEMATA

1. Euangelium ipso nominis sono & significato discernitur à Lege,  
quod propriè loquendo, non sit doctrina tradens præcepta, vel confilia  
perfectiora, quam Lex Dei, sed afferens lætissimum ex cœlorum arcano

nuncium, de gratia Dei, in Christo, erga omnes mediatorem amplectentes. Vana est igitur Papistarum opinio de nova Lege.

2. Non est vox Euangelii inventum humanum, sed Dei sapientia & consilium, 1. Cor. 1. Luc. 7.

3. Est præterea æternum Dei decretum & mysterium temporibus æternis tacitum, Rom. 16, & à principio mundi ex arcano sinu Patris per filium prolatum, Ioh. 1.

4. Prophetæ non tantum fuerunt interpres Legis, & præcones denunciantes iram Dei & calamitates secuturas, sed simul doctores Euangelii, illustrantes primam promissionem de semine mulieris: Est enim unum & idem Euangelium omnium temporum, per quod salutem consecuti sunt, quicunque crediderunt, Act. 10.

5. Scripturæ universæ scopus est Christus: Ioh. 5. Scrutamini scripturas, ipsæ de me loquuntur, Luc. 24. Act. 26.

### III. Descriptio Christi

vers. 3. & 4.

Christum Salvatorem describit Paulus hac Epigrapha breviter, sed Iuculenter, quoad personam & officium. Respectu personæ, ipsum verum Deum & hominem esse asseverat. Deum: 1. Quia filius Dei est, 2. Quia divina ejus majestas testimonij indubitatis est declarata: in virtute seu potentia edendi miracula, effusione Spiritus sancti, qui phrasí Hebræa Spiritus sanctificationis vocatur, tum ab essentiali ipsius sanctitate, tum opere sanctificationis nostræ: Denique Resurrectione ex mortuis, qua vitam proprio arbitratu positam recepit, Ioh. 10. HOMINEM ESSE CHRISTUM tribus argumentis afferit. 1. Quia factus est, 2. ex semine David, 3. quia carnem habet, quæ phrasí scripturæ usitata, sumitur pro toto homine, Ioh. 1. Officium Christi tantum perstringit, appellationibus ejus notatum: est enim Iesus, salvum faciens populum suum à peccatis, Matth. 1. EST CHRISTUS, unctus plenitudine Spiritus sancti sine mensura, Psal. 45. Ioh. 3. Act. 10. Estque Rex & Sacerdos noster: EST Dominus noster, non tantum ratione creationis, sed etiam quia sanguine suo nos emit, sibi que peculium Ecclesiæ acquisivit, Act. 20, 1. Pet. 1.

### Thematæ

1. Christus est verus & æternus Deus, Patri coëssentialis & coæqualis. Ioh. 1. Roman. 9, 1. Ioh. 5.
2. Christus est verus homo, constans anima & corpore, quoad naturam humanam, per omnia nobis similis, absque peccato, Heb. 2. Ioh. 1.
3. Christus est Salvator & Mediator unicus generis humani, 1. Tim. 2.
4. In persona Christi est realis κοινωνία naturarum & idiomatum, orta

ex

ex κοινωνίᾳ ὑποστάσεως λόγῳ, secundum quam recte dici potest: Filius D  
natus est ex semine David secundum carnem, Rom. 1, & 9.

5. Plura sunt communicationis idiomatum genera, quia hoc loco ad-  
ditur particula distinctiva, quae in propositionibus secundi & tertii generis  
non invenitur adiecta.

6. Particula distinctiva notat non tantum subjectum, cui naturaliter cō-  
petit idiomā, quod loco prædicati ponit, sed simul exprimit caussam,  
quare de filio Dei verē & non verbaliter dici possit, quod sit factus ex Da-  
vidis semine, quia videlicet carnem in unitatem personæ assūmisit.

7. Verbalis communicatio merum ludibrium & commentum Diabo-  
li est.

#### I V. De conditione & dignitate

ministerii Apostolici.

Claudens Apostolus utramque digressionem de Euangelii doctrina  
& filio Dei, quam Spiritu Apostolico plenus & dilectione Christi inflam-  
matus inseruerat, redit ad institutū. Et quia se Apostolum esse dixerat, nunc  
unde id officium nactus, & quae ejus propria sint, differit. Proponit itaq;  
officii sui, 1. Caussam efficientem, Christum, à quo ἀμέσως vocatus est,  
Gal. 1. 2. Formam, quia est Apostolatus, id est, Legatio, 2. Cor. 5. Et quan-  
quam onus videri posset, tamen hanc dignitatem maximam esse, & ex gra-  
tia sibi collatā testatur, dum χαριψ vocat, 1. Tim. 1. 3. Finem, obedientiā,  
qua captivatur ratio in obsequium fidei, 2. Cor. 10. 4. Objectum, omnes  
gentes, quia gentium doctor, 2. Tim. 1. Act. 9. 1. Tim. 2. 5. Ultimum fi-  
nem gloriam nominis divini. Postremò transfert objectum οἰκισθεὶς ad hy-  
pothesin: Si ministerium Pauli ad omnes gentes se extendit, Ergo etiam  
ad Romanos, quos vocatos Iesu Christi honorificè appellat.

#### Theses.

1. Apostolus est persona immediate à Christo vocata, ut per Euange-  
lii doctrinam omnes gentes ad obedientiam fidei adducat, & nomen Chri-  
sti illustret, Act. 1. Rom. 10.

2. Apostolatus eti contemtum est vitæ genus in mundo, 1. Cor. 4.  
tamen in oculis Dei magna est dignitas & gratia.

3. Differt Apostolus ab Episcopo, seu quovis alio Euangelii ministro,  
ad eoque Papa Romano vocatione immediata, Gal. 1. testimonio doctri-  
næ, quod in ea non erret, & objecti amplitudine, quod ministerium illius  
ad omnes gentes se extendat.

4. Ministerium Apostolicum non assert sapientiam humanam aut de-

monstrationes, sed divinam autoritatem, & ab autoribus non poscit curias investigationes mysteriorum Dei, sed simplicem obedientiam, 1. Cor. 1.

#### EPIGRAPHA.

Inscriptio Epistolæ periphrasim Ecclesiæ Romanæ cōtinet: Universalis enim particula hoc loco determinatur attributis prædicati: ne ad omnes omnino Romanæ civitatis incolas, quorum vix millesima pars Christum agnoverat, pertrahi possit. Neque enim omnes cives Romani eo tempore vocati & sancti verè dici potuerunt. In attributis describit veræ Ecclesiæ cives, & discernit à reliqua hominum colluvie:

1. Dilectione Dei, qua in Christo dilecto diligit omnes in ipsum credentes, Eph. 1. 2. vocatione, qua tanquam medio Ecclesiam colligit. 3. Sanctificatione, quæ ceu fructus vocationem factam ex gratia & fide apprehensam consequitur, sita in gratuita imputatione innocentiae Christi & dono Spiritus sancti, renovationem in natura inchoantis.

#### THEMATA.

1. Vera Ecclesia est, cœtus vocatorum per verbum & Sacra menta, in quo semper aliqui sunt verè credentes, qui fide justificati Spiritu sancto sanctificantur, & à Deo per Christum diliguntur, & vita æterna donantur.

2. Extra Ecclesiam nec vocati, nec sancti, nec electi sunt quærendi. Eos enim Scriptura Electos vocat, qui vocantur, justificantur, glorificantur, Rom. 8.

3. Alia est dilectio, qua Deus universum mundum dilexit, ita quidem, ut omnes homines verè salvari velit, omnib[us]que salutis organa ministret, ab ea, qua diligit credentes in Christum, qui organa salutis amplectuntur, & recte usurpant.

4. Etsi haud dubiè Ecclesia Romana, tum quoque non fuit omni parte perfecta, tamen titulum sanctorum & dilectorum Dei eidem non denegat Apostolus, & per se quidem à potiori facit denominationem, at sui respectu ex charitate de omnibus optima quæque sibi pollicente loquitur.

5. Qui vera fide in Christum prædicti, & Spiritu sancto donati ac renovati sunt, verè sancti appellari possunt. Papalis stultitia & audacia mortuos in divorum catalogum ascribens, vivos sanctorum numero eximens, execratione digna est.

#### SALUTATIO.

Salutatio Paulina duobus verbis, Gratiae & Pacis, complebitur præcipua Christi beneficia, spiritualia & corporalia. Gratia significat favorem & dilectionem Dei, complebentis Ecclesiam suam dilectam in Christo, & gratias acceptantis in filio, & credentes justificantis in Christo, cum qua acceptatione conjunctum est donum per gratiam, Rom. 5.

Pax

Pax notat; 1. Effectum gratuitæ iustificationis, videlicet tranquillitatem conscientiae acquiescentis in promissione, & Deum  $\mu\epsilon\tau\alpha$  παρέποντας inuocantis, Rom. 5.

2. Externam defensionem & quietem, quam Deus Ecclesiae pro suo beneplacito largitur vel adimit, pro ut ipsi utile est. Et hæc bona à Deo & Domino nostro Iesu Christo precatur, ostendens & hunc verum esse Deum.

#### THEMATA.

1. Omne bonum donum est à Patre lumen, Iac. 1.
2. Salutatio non est negligenda, quia est invocatio & est efficax. Mat. 10.
3. Christus est verus Deus, quia invocatur, & ab ipso eadem petuntur quæ à Deo vero. 1. Tim. 1.

#### EXORDIUM.

Exordium Epistolæ totum in captatione benevolentiae versatur, ductis argumentis à Pauli erga Romanos affectione atque amore, quem septem documentis testatum facit. Propositio hæc est: Paulus Apostolus Romanam Ecclesiam sincero amore cōpletebitur. Rationes afferuntur sequentes:

1. Quia Deo suo pro ipsorum fide, toto orbe prædicata, gratias agit, & de hac felicitate ipsis gratulatur, v. 8. 2. Assidue pro ipsis orat, cuius rei Deum & conscientiam suam testem appellat, v. 9. 3. Venire ad eos prospero itinere, à quo hactenus sit impeditus desiderat, v. 10.

4. Nihil ab illis lucri captare se velle ait; sed eos dono spirituali tanquam tessera sui amoris impertiri cupit, v. 11.

5. Consuetudine Romanorum & pietate, se quoque fidei ac consolationis fructum percepturum sperat, v. 12. 6. Ministerii & prædicationis suæ laborem haud inanem fore in Ecclesia Romana confidit, v. 13.

7. Officii Apostolici ratione se ad ejusmodi erga Romanos affectum & itineris ac laborum perferendorum propositum moveri testatur: Cùm debitor sit omnibus hominibus, sapientibus & insipientibus, græcis seu gentibus cultioribus & barbaris, v. 14.

#### THESES.

1. Captatio benevolentiae apud auditores in ministro Euangelii non est adulatio, sed salutaris præparatio animorum, quod èo promptius audiant docentem.
2. De juramentis, quæ sunt invocatio veri Dei, & cultus Deo gratis.
3. Iuramenta distinguuntur primò ratione cauſarum efficientium & impulsivarum in ἐπεισόδια seu τελαγμάτα Magistratu imposta, quæ sunt: vel

vel veritatis eruendæ gratia, mandata, vel obligatoria ad obedientiam & certa ministeria. Et ἔκστα, quæ proprio arbitrio sunt.

4. Voluntaria iuramenta sunt vel ex justo zelo, & veritatis amore, qualia sunt Apostolica, Rom. 1. & 9, vel ex mera animilevitate, vel odio & indignatione, quæ prohibentur Matth. 5.

5. Secundò, Ratione caussarum finalium: Alia iuramenta cedunt ad gloriam Dei, & proximi ædificationem & utilitatem: Ezech. 18. & 33. Ioh. 3. 5. &c. Alia ad fallendum proximum, aut animi intemperiem & pravam consuetudinem explendam, Matth. 5.

6. Ratione objectorum: alia sunt per verum Deum, Deut. 6. alia per creaturas aut idola, Exod. 23. Matth. 5.

7. Blasphemia est, quòd Papistæ in formulis juramentorum nomini divino adjiciunt sanctorum mentionem. Exquisita porrò Papæ licentia & malitia est, quòd legitima iuramenta, quæ sunt vincula obedientiæ inter Magistratum & subditos, dissolvit pro arbitrio.

8. Indesinens oratio Pauli non significat, eum instar Monachorum & monialium ignavum egisse otium, & à reliquo labore vacuum, precibus recitandis tantum vacasse: Quod ipse negat Act. 20. Sed singulis diebus iteratam precandi consuetudinem, & stata precum tempora eum habuisse notat. Delirant & gitur Messaliani Euchitæ. Aug: de hærel: cap. 57.

9. De libero hominis arbitrio in rebus externis. Est enim voluntatis humanae aliqua libertas in consiliis & actionibus externis. Eventus verò non sunt in nostra potestate, sed pendunt à providentiæ divinæ gubernatione, quæ sæpe bona etiam piorum consilia impedit, præstantioris boni gratia, Act. 16. Ierem. 10. Scio Domine, quòd non est hominis via ejus, nec viri dirigere gressus suos.

10. Nemo tam est in hac vita perfectus, quin subinde vel institutione vel confirmatione vel consolatione aliorum indigeat. Inanis igitur est persuasio Papistarum, perfectionem virtutum sibi in hac vita vendicantium.

11. Labor ministrorum Euangeli non est arbitrarius, sed debitus ex officio, ejusque fructus seu merces non est stipendium, quod alimenti loco ipsis datur, sed incrementum regni Christi. Non sunt igitur mercenarii discendi ministri Euangeli, eò quòd stipendia ipsis dantur annua.

12. Doctrina Euangeli est universalis, pertinens ad omnes gentes, sine discrimine, tām sapientes & cultas, quām incultas & barbaras. Nulla igitur apud Deum est prosopolepsia, Act. 10.

FINIS.

AB 22 841 (1)



56.


Hi.77

WCP





B.I.G.



DISPUTATIO PRIMA

EX EPISTOLA  
PAVLI APOSTOLI AD ROMA-  
nos, complectens quædam Prolegomena,  
& ἀναλυτικαὶ αφῆς & exordij.

*Cujus positiones, divina adju-  
vante gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVNGIO  
SS. THEOLOGIÆ D. ET PRO-  
fessore, in privato disputationum Theo-  
logicarum Collegio defendet

¶. BARTHOLOMAEUS BATTUS  
Hamburgensis.

Die 20. Decemb. hora 7. mat.



1595  
VVITE BERGAE  
Excusa typis M. Simonis Gronenbergii.

